



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. XI. De pœnis jure Canonico statutis in malè, seu illegitimè promoventes,  
ac promotos ad ordines.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Festis ordinari quis possit, rigidè sit intelligendum de festis, quæ de præcepto, & in foro celebrantur, saltem in particulari aliqua Ecclesia.

## §. X.

## De gradatione, &amp; interstitiis ordinationum.

Gradatim debere conferri ordines, incipiendo à prima tonsura, & deinceps temper ad proximum ascendendo, ex *c. uni. de Cleric. per saltum promoti*, patet, ubi prohibetur hæc per saltum, omisso intermedio inferiore, facta promotio, ita ut validè quidem promoveatur, qui taliter per saltum promovetur, non tamen licitè. Quin etiam certa interstitia inter inferiorem ordinem susceptum, & superiorem suscipiendum, servari debere, ex *Trident. sess. 23. cap. 19. de reform.* patet, ob majorem scilicet probationem, & meliorem dispositionem ordinandorum; quæ quidem interstitia inter minores ordines prudenti arbitrio Episcopi definienda relinquuntur, hodie tamen passim ex receptâ consuetudine non observantur, cum passim omnes 4. minores cum prima tonsura eodem die accipiant, & ex probabili etiam consuetudine, quæ reprobata non fuit, eum minoribus eodem aut sequenti mox die Subdiaconatus conferatur; inter majores tamen ordines interstitia servari debent, uti patet ex *c. literas 13.* & ex *c. dilectus 15. h. t.* ita ut nec simul duo ordines majores eodem die conferri possint, nec diebus mox succedentibus, non obstantibus quibuscunque privilegiis de jure antiquo regularibus quibusdam concessis (quæ per Trident. revocata quidem sunt, non est tamen

ablata Pontifici per hoc potestas circa hæc interstitia dispensandi) & tam Subdiaconus quàm Diaconus per annum in suscepto ordine servire debeat, usque dum promoveri possit ad ordinem superiorem, uti ex *Trident. sess. 23. habetur*, nisi ob utilitatem aut necessitatem Ecclesie cum tali fuerit à proprio Episcopo dispensatum, quibus Trident. hanc potestatem dispensandi concessit (& hinc, qui dimissorias petunt, diligenter attendere debent, ut hæc aut dispensatio, aut dispensandi licentia literis talibus inseratur, nisi velint ab ordinibus repelli, in illis saltem Ecclesiis, ubi diligens cura Trident. habetur) ut ad eò rectè non nemo dixerit; *ad eum spectare dispensandi in interstitiis potestatem, ad quem pertinet ordinandi de jure communi potestas*, & tacitè censeatur quoad hæc interstitia dispensare ordinans Episcopus, si sciat à susceptione prioris ordinis annum nondum elapsum fuisse, ordinem tamen superiorem conferat.

## §. XI.

De pœnis jure Canonico statutis in malè seu illegitimè promoventes, ac promotos ad ordines.

Varia circa has pœnas statuta sunt, primò quidem, qui ante legitimam ætatem ordinat aliquem, à collatione ordinum suspendendus est per sententiam, ut in eo puniatur, in quo deliquit, *c. vel non est 14. h. t. junct. gloss. V. suspendentes*; & qui primam tonsuram confert infanti, aut homini illiterato penitus per unum continuum integrum annum à collatione Clericalis tonsuræ ipso jure suspensus est *c. final. h. t. in 6. junct. gloss. V. annum*



*V. annum & V. suspensum:* ordinatus autem ad sacros ordines in ordine suscepto ministrare non potest de jure antiquo, donec ætatem debitam consequatur; de jure novo autem est ipso jure suspensus; ita ut si durante hac suspensione, antequam absolutus ab illa fuerit, in susceptis ordinibus ministrare præsumperit, irregularitatem etiam contrahat, juxta *constit. Pii II. cum ex sacrorum canonum* (nisi ante requisitam ætatem ad ordines majores promotus fuisset per simplicitatem, & ignorantiam non crassam, quo in casu nec suspensionem incurreret taliter ordinatus, nec irregularitatem) à qua suspensione licet ab Episcopo, aut Confessorio privilegiato absolvi possit, non tamen debet post absolutionem ante obtentam legitimam ætatem in suscepto ordine ministrare.

Secundò: Qui scienter, vel per affectum ignorantiam temerè, alienum subditum absque superioris, cui ordinandus subje&us est, licentia aut dimissiois, ordinare præsumperit, per annum à collatione ordinum totaliter ipso jure suspensus est, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario expedire videbitur. *c. eos qui 2. h. t. in 6. & Trident. sess. 13. c. 8. de reform.* Si verò Episcopus in aliena diocesi suis etiam Clericis sibi subje&is, absque expressâ licentia ordinarii loci, ordines conferat, ab exercitio Pontificalium, id est omnium actuum, qui Episcopalis ordinis proprii sunt, & sic ordinati ab executione ordinum susceptorum, ipso jure sunt suspensi, ad placitum ordinarii loci, ut decernit Trident. *sess. 6. c. 5. de reform.* juxta quod ad evadendam hanc

pœnam non sufficit præsumta tantùm licentia, aut spes ratihabitionis futuræ, cum concilium expressum requirat, nisi bona fides à gravi etiam culpa excuset, neque enim tam gravis pœna sine gravi culpa incurritur.

Tertiò: qui extra statuta à jure temporaria, vel eodem die duos majores ordines conferunt, non quidem ipso jure suspensi sunt à collatione ordinum, aut saltem illorum, quos simul eodem die contulerunt, sunt tamen per sententiam judicis suspendendi, uti habetur *ex c. 2. & 8. h. t. & ex c. literas 19. eodem,* & taliter ordinati ex jure novo *Pii II.* ab ordinum taliter susceptorum executione ipso jure suspensi sunt ac irregulares, si durante suspensione in illis ministraverunt (nisi bona fides hos excuset) à qua suspensione probabiliter tantùm absolvere possunt proprius Episcopus, & ab eo constituti, prout colligi potest *ex c. consultatione 16. h. t.*

Quartò: Contra Episcopum, qui ad sacros ordines ordinavit aliquem sine beneficii aut mensæ titulo, jure novo statutum est, ut Episcopus taliter ordinans taliter ordinatum necessariis alimentis, juxta facultates Ecclesiæ, & dignitatem Clerici instruat, donec beneficium Ecclesiasticum assequatur, ita ut ad successorem etiam Episcopum hæc sustentandi obligatio transeat, *c. cum secundum 6. de prebend.* cum sit onus reale, quo in gratiam Clerici oneratur mensa Episcopalis: in casu autem, quo omni culpâ caret ordinans, & tamen ordinatus non habeat ex suis vitæ sustentationem, non tenebitur quidem Episcopus primo loco, sed ille patronus v. g. aut Vicarius generalis,



cui incumbere examen ordinandorum, qui presentaverunt ordinandum talem; in defectum tamen horum etiam ipse Episcopus tenebitur, cum non tam in modum pœnæ hæc talia statuta sint, quam in Cleri honorem. Ordinati verò taliter sine titulo, si illi in culpa non fuerunt, nullam pœnam aut suspensionem incurrunt, incurrunt tamen probabilis ab executione suscepti ordinis suspensionem, & irregularitatem, in ordine suscepto ministrantes, si dolose & malitiose deceperunt Episcopum, fingentes v. g. titulum se habere, cum tamen non haberent; neque Episcopus, qui ordinavit tales, ad præbenda illis alimenta obligabitur; quod si tamen uterque tam Episcopus ordinans, quam ordinatus in culpa sit, ille quidem obligationem alendi subibit, hic verò suspensionem juxta can. 1. & 2. dist. 20.

## §. XII.

De ordinatione, seu consecratione  
Archiepiscopi, vel Episcopi.

Vide de his, si jus antiquum nosse velis, quod tamen in usu amplius non est, c. 6. & 7. b. 1. & quæ supra dicta si nr.

## SECTIO. II.

De potestate exercendi alia  
Pontificalia præter collationem  
ordinum.

## §. I.

De insignibus Pontificalibus, & potestate exercendi actus Pontificales, quæ Episcopis competit.

Insignia Episcopalia, quibus Episcopi de jure communi uti possunt, sunt Mi-

tra sive Infula, Pedum sive baculus Episcopalis, annulus, caligæ, sandalia, turnicella, dalmatica, chirothecæ, & crux pectoralis. Actus autem, quos jure proprio Episcopi vi ordinis sui exercere possunt, sunt ordines sacros conferre, baptizatis Sacramentum confirmationis ministrare, populum solemniter benedicere, conferre primam tonsuram, & minores ordines, consecrare virgines, Ecclesias, altaria, calices seu vasa sacra, corporalia, & alia paramenta sacra benedicere &c. quorum quidem aliqua simpliciter etiam Sacerdoti à Summo Pontifice committi possunt, non tamen ab illo inferiore Episcopo; neque possunt Episcopi in aliena diocesi sine licentia ordinarii loci, actus tales, qui jurisdictionem admixtam habent, exercere. Possunt tamen exercere in aliena etiam diocesi etiam sine licentia ordinarii loci, actus illos Episcopales, qui nullam jurisdictionem admixtam habent (quales actus sunt solemniter cum paramentis Episcopalibus celebrare, solemniter benedicere, solemniter verbum divinum prædicare) cum Trident. prohibens exercitium Pontificalium in aliena diocesi, de illis tantum actibus intelligendum sit, qui jurisdictionem admixtam habent. Quæ tamen omnia ita intelligi debent, ut liceant vel non liceant in aliena diocesi, nisi consuetudo aliud habeat, prout in nostra Germania non solent Episcopi in aliena diocesi, neque alii Prælati usum Pontificalium habentes, in Ecclesiis sibi non subiectis, aut extra proprias Ecclesias Pontificaliter celebrare sine consensu ordinarii loci, quia non conceduntur talibus Pontificalia, nisi in ordine ad suam Ecclesiam, vel diocesim.

## §. II.